



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput V. De Cambio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

Si opera & industria ejusdem supponantur valoris cum pecunia, prorsus æqualiter omnia dividenda sunt, quandoquidem, moraliter loquendo, æquè multum in societatem contulerit. Si verò valor industriæ V. G. tantum medietati pecuniæ in societatem collatæ, æquiponderet, primus, qui pecuniam dedit, summam datam, & alter pretium suæ industriæ accipiat; tum lucrum ita dividatur, ut collator pecuniarum, conformiter ad excessum pecuniæ collatæ, plus de illo participet.

## CAPUT V.

## De Cambio.

Cambium strictè acceptum est, *Mutuatio pecuniae pro pecunia secundum quantitatem, vel speciem, vel locum diversâ, cum lucro camporis.*

Cambium aliud est *reale*, seu *verum*, in quo justè lucrum reportatur, aliud *siccum*, seu *fictum*, quod fit cum titulo injusto.

Cambium etiam dividitur in *minutum*, seu *manuale*, & in *locale*, quod alio nomine dicitur *Cambium per literas*.

*Minutum* est, *Commutatio pecuniae pro alia diversa, in eodem loco & quasi de manu in manum*, ut si permutes nummum aureum cum argenteis. *Locale* est, *permutatio pecuniae presentis cum distante, seu in alio loco existente*; ut si campor accipiat hic pecunias, ut similem summam Bruxellis numerari curet.

P. 1. An in Cambio minuto possit aliquid accipi  
suprà valorem nummi legalem?

Prænotandum, quòd duplex sit valor pecuniae, unus legalis, qui lege Principis imponitur, alius naturalis, qui ex bonitate naturæ, ex antiquitate, ex majori ad commercia utilitate &c. desumitur. Ad quæstionem

1. Aff. Quia possunt subesse tituli justî, ut *lucrum cessans*, aut *damnum emergens*, ut si intendebas nummos tuos aliò, ubi pluris valent, deferre, aut negotiationi cum spe lucri applicare: item si ratione officii cambiendi, à Principe impositi, tenearis esse paratus ad cambiendum, pecunias variæ speciei conquirere, pericula, & expensas, etiam ratione sustentationis famulorum subire &c. Hæc omnia simul sumpta pretio æstimari queunt.

2. An in Cambio locali aliquid exigî possit?

1. Aff. Et constat ex omnium mercatorum praxi, & consensu, qui unanimiter modum illum cambiendi cum lucro recipiunt, & participant, nullo reclamante. Ratio est, quia beneficium transportandi formaliter, aut virtualiter pecuniam de loco in locum in gratiam Cambisarii, est pretio æstimabile, cum per hoc eximatur Cambisarius à periculis, expensis, laboribus, quos deberet pro transportatione subire. Deindè Cambium hujusmodi involvit quamdam affecurationem pecuniæ transferendæ in gratiam Cambisarii.

Attendendum, quòd non liceat exigere

tantum lucri, ac si pecuniæ formaliter tra-  
jicerentur de loco in locum pro transporta-  
tione virtuali, quæ consistit in eo, quòd  
Campfor habeat in alio loco corresponden-  
tem, qui pecuniam hîc numeratam ibidem  
refundat, quia hîc minus subest molestiæ  
& periculi.

3. Quid Cambium Francofurtense, & an licitum?

R. Est illud, *in quo campfor exigit majus lucrum  
secundùm proportionem longitudinis temporis,  
quo differtur restitutio pecunia prænúmerata.*  
V. G. nundinæ celebrantur bis in anno Franco-  
furti, scilicet in Paschate, & in Septembri,  
quæritur: an campfor dans pecunias, secundis  
nundinis recipiendas, possit exigere amplius,  
quàm si restitutio fieret primis nundinis?

R. Hoc per se esse illicitum, seclusis extrinsecis:  
quia carentia pecuniæ ad tantum tempus non  
est titulus sufficiens ad exigendum aliquid ul-  
trà sortem. Si tamen accedant alii tituli, V. G.  
lucrum cessans, vel damnum emergens, &  
majus lucrum cesset, quia restitutio differtur  
ad secundas nundinas, non est dubium, quin  
jure naturæ majus auctarium exigi queat.

Quid sit cambium Byzantinum, quod &  
Placentinum dicitur, declarabit

### CASUS XII.

*Indiges Antverpiæ aureis mille, quos quia tibi  
nolo mutuare, sed dumtaxat ad cambium dare cum  
iusto lucro cambij, ut peccatum usuræ non incurram,  
rogas tibi dari ad cambium locale restituendos meo*

Q 2

Pre

*Procuratori Placentiæ, vel Byzantiæ, (quæ sunt urbes Mercatoribus, & mercibus destinatæ) sed quia Placentiæ non habes Procuratorem, qui aureos tibi numeret, nec fidem, nec pecuniam, assigno tibi meum Procuratorem, ut fiat Procurator utriusque, & mihi ibidem pro te respondeat, susceptumque debitum sibi solvat, quatenus diversas personas representat, & rursus eandem pecuniam remittat Antverpiam per cambium, scribens novam obligationem pro mille aureis, quasi denuò ad cambium acceperit, eamque ad me transmittens, ut à te accipiam mille aureos Antverpiæ cum lucro cambii, & recambii. Queritur, an hoc licitè fiat?*

R. Totum pendere ab intentione eorum, qui ad istud cambium concurrunt: nam si campfor, & campfarius seriò intendant cambium, & recambium, & Procurator campforis seriò fiat Procurator campfarii Placentiæ, ibidemque nomine campfarii verè, & sincerè respondeat, aut sibi ipsi in persona campforis solvat, &c. non video, quid iniustitiæ subsit, quandoquidem ratione cambii, & recambii aliquid exigi possit.

Si autem hæc non gerantur seriò, cambium istud est omninò siccum, & usura palliata, eò quòd totum lucrum à parte rei accipiat, vi mutui.

☞ (†) ☞

CA.